

X. 9

VERNANTES  
PENTECOSTALES  
FRONDES

*Colligata cura*

CHRISTIANI GUEINZI  
Gymnafii Hallenfis  
Rectoris.

---

*Excudebat Hallis Saxonum PETRUS  
FABER Typographus.*

1 6 3 7.

Drepan. Florus in exhortat. ad legenda  
sacr. volumin. vers. 1.

*Sic rogo divinis flagrent mea pectora flammis,  
Quas patribus Christus misit ab arce poli:  
Cum vehemens subito sonuisset ab aethere Flatus,  
Fulsisset q̄ omni vertice linguarubens.*



ertia nunc anni solemnia Festa reduxit  
Titan, queis Jovæ Gens pia sacra sacras.  
Spiritus alme Tibi præsentia Festa dicantur  
Tertia; nil reliquis inferiora tamen.

Plaudite Christiades, & júbila tollite plausu!

Durat in æternum gloria magna Dei.

Spargite Christicolæ, jam spargite, spargite flores!

Floribus hoc Festum condecorare decet.

Porgite Pæonias; virides depromite frondes!

Frondebushoc Festum concelebrare juvat.

Omnis sylva viret. Vireant quoque tempora templi!

Omnis ad hoc Domino gramina grata ferat.

Atria sancta Dei viridiredimite corollâ!

Altaris frondes cornua sacra gerant!

At sacras. Sacra nam præsentia Festa requirunt:

Et sanctum *Sanctus Spiritus* omne cupit.

Spiritus ipse adest. Christi promissa feruntur:

Sedibus æthereis Spiritus ille venit.

Exultate pii! mundate palatia cordis!

Justitiâ vireant corda sacra Deo!

Hospes enim sanctus viridaria sancta subintrat,

Quæ pietate nitent, quæ probitate virent.

Sordida quæque fugit Talis: viridantia corda

Sunt Domini, Domino talia sola placent.

Ver ubi perpetuum, quâ florea corda virescunt

Læta vigore suo, læta virore suo.

Florida quæque Polus reddet, nitidissima quæque

Excipient, summi sancta theatra Dei.

Sint ergo in terris, nobis quoque florida curæ!

Florida corda sient! Florida vita fiet!

Ignoras ô homo paradisi florida tempe?

Næ flores halant semper odore sacros.

**E**st locus ætherei spectans orientia Solis

Lumina, fructiferam qui Babylona tenet:

Quatuor

Quatuor ex uno manant ubi flumina fonte,  
Tigris & Euphrates, Phison & ipse Gihon.  
Illic hortus erat Verbo fabrefactus Jovæ,  
Nil hominum poterat cura juvare Deum.  
Hortus erat cunctis donisque bonisque repletus,  
Quæ jucunda sibi Terra tenere valet.  
Non ibi vel Mortis, vel tristia tempora Martis  
Angebant; aderat nil nisi certa salus.  
Et si magna licet forsan componere parvis,  
Quæ sibi cura hominum vana laborque parat.  
Qualem Semiramis mirâ construxerat arte;  
Quale fuit Pæsti erat Nausicæesque nemus.  
Hoc nemus, hi fontes, & textilis umbra comantis  
Ficus, sunt ea, sunt quæ paradisus habet.  
Prataque nec bifero cessura rosaria Pæsto  
Floreque quæ semper perpetuante virent.  
Ut si Nausicæ patrios concederet hortos  
Alcinoo possem dicere, malo Dii.  
Huncce locum dederat Deus, ut coleretur in ævum,  
Adamo, gaudii munera læta sui.  
Proh quantum generi nostro Fortuna favebat,  
Quando mali labes nulla, malivè lues!  
Haud timor ullus erat, sibi ne contraria mortis  
Fata forent, ullus tristitiævé locus.  
Quamprimum verò summi præcepta Tonantis  
Negligit, & vitii fœda venena trahit:  
Extemplo mundum tristavit & imber & umbra:  
Horruit hinc cœlum, squaluit inde solum.  
Adamus superi cuncto spoliatur honore;  
Mors sequitur, sequitur tristis & ira Dei.  
Hinc ubi grata quies; bella, horrida bella sequuntur:  
Amplius hunc quando non Paradisus habet.  
Pro violis etiam pungit mala spina malorum;  
Partibus & terræ nil nisi sentis inest.

Et

Et sacra n̄ rursus reserasset limina cœli,  
 Divinæ sedis qui Reparator erat:  
 Flaminis & Sancti n̄ gratia corda rigasset,  
 Humanæ vitæ, qui novus author erat.  
 Quilibet inferni Ducis hinc turbatus in antrum  
 Vidisset rosei florida nulla Poli.  
 Quin locus in terris queis portas flammea quondam  
 Elysii nemoris clauserat ira DEI.  
 Hic lignum quoddam fructum genuisse recordor,  
 Non quem de vetito stipite carpit Adam,  
 Sed qui perpetuum morbum mortemque fugaret,  
 Redderet & vitæ dulcia dona suæ.  
 Hoc lignum, quamvis uno de stipite surgat,  
 Protendit ramos, brachia bina, duos.  
 Vix terræ fixum, sub terræ conditur alvo,  
 Quum post lux terræ tertia reddit idem.  
 Sed bis vicenis firmatum quando diebus  
 Crescit, & in superas pergunt ire plagas.  
 Interea caperet victum vitamque perennem,  
 Præsentis ligni cœlica tecta petens:  
 Edidit ingenti bis senos pondere ramos:  
 Mentibus hi cunctis tegmina tuta dabant.  
 Hi verò melius quò diducantur in orbem,  
 Et fructum citius qui que referre queat.  
 En Tibi divinus de cœlo defluit imber  
 Rore rigans frondes. Spiritus almus erat.  
 Spiritus almus erat divini Flamen amoris,  
 Qui flatu frondes vivificare dabat.  
 Et nunc perpetui redierunt tempora Veris,  
 Latius illa DEI gratia grata viret.  
 Jam Paradisiaco quoque reddita cuncta virori:  
 Ad lignum vitæ quum reseretur iter.  
 Vultis ut & vobis? Festum celebrate decenter:  
 Frondibus hoc Festum condecorate piis!

Sic

Sic qui spina fuit tantummodo lædere nata,  
 Elysi campi fertilis arbor erit.  
 Fertilis ut fiat firmis radicibus hærens,  
 Adspirat sancti Flaminis aura DEI.  
 Sicut enim recreant lenis spiracula venti  
 Æstu dum nimio tempora calda levant!  
 Sic Flatus Domini divino pectora flatu  
 Afficit & recreat, quum mala magna premunt.  
 Depurgat ventus: purgat spirabile Numen.  
 Quicquid fœtoris pectora nostra tenent,  
 Et veluti quævis perflant altissima venti,  
 Pulveris & sicci corpora sicca movent:  
 Spiritus ipse DEI quæcunq̃ue superba retundit,  
 Sublevat incontra quod pietatis opus.  
 Verbo: quicquid habent spatiosa palatia cœli,  
 Spiritus hoc proprio Numine solus habet.  
 Hæc juvat in nostro nostros repetisse Lyæo,  
 Talia dante DEO dum repetisse licet.  
**E**uge Viri Magni, quos Flaminis entheat ardor  
 Sanctus, quos fidei florida vera beant,  
 Et Tu quæ Phœbi castris damnata juvenus:  
 Talia Festa pio concelebrate modo.  
 At Vos, quæis animus quondam decerpere flores,  
 Floridulus cœli quos Paradisus habet:  
 Reddite jucundo præstanti munera fœtu,  
 Arbor ceu ripæ margine pōsta solet.  
 Propterea ramos tondete, secate stolones,  
 Atque supervacuâ fronde levate nemus.  
 At nisi divino perflêris Flamine, frustrâ,  
 Si qua feres unquam, munera tanta feres.  
 Ne frustra, mecum sic junctis vocibus optent,  
 Quos bona facta juvant, quos pia vota beant.  
 Ab age divinum Numen delibere cœlo,  
 Inserere Te nostris mentibus Aura Dei.

Te



Te modò conjunctis precibus Germanica tellus  
Invocat, & mœsto pectore vota capit:  
Quam toties, quoties retrò sublapsa feruntur  
Cuncta, malis variis fors inimica quatit.  
Quam toties sævè metuendus cuspide Mavors  
Multat, & horrendum pallida Morta premit.  
Spiritus alme redi! redeat concordia tecum!  
Fac Deus omnipotens improba bella cadant!  
O calor! ô Fator! divini Spiritus ignis!  
Cum Patre, cum Nato quig<sub>3</sub> Triune manes!  
Solamen miseri jam suffice! corda tuorum  
Dirige! ne forsitan concidat omnis homo.  
Frigidulisq<sub>3</sub> calor contingat! lumina cœci!  
Quilibet ut verum cernat, agatq<sub>3</sub> pium.  
Sit Schola nostra Tibi, Tibi sit Republica cura!  
Inq<sub>3</sub> Viros sacros aut a favoris eat.  
Absit dira lues! absint incendia! Mavors  
Absit! & annona dira flagella procul!  
Sic tua Tempa tibi, sic sic Republica grates,  
Et Schola nostra simul persoluisse potest.  
Ut fiat: Spira nobis Spirabile Numen  
Flaminis arboribus flamina grata tui!  
Spiritus intus agat, sint ut viridaria nostra  
Corda Tibi, floris sint decorata comis.  
Quin Paradisiaco simus, velut arbor, in horto  
Quam viridem faciat Spiritus ille Tuus.  
AH FELIX VIRIDAT QUEM SPIRITUS ISTE VIRORE!  
NON STOLO, NON ARBOR, SED PARADISUS BRIT.

Declamatores sunt

In Prosâ:

JOSEPHUS Buchner/ Forstâ Lusatus.

NICOLAUS Berlach/ Hallâ Saxo.

In Ligatâ.

MARTINUS Seeger/ Wusterhusio Marchicus.

CHRISTOPHORUS Bieffeldt/ Perlebergâ Marchicus.

## De quorum Exercitiis

1. **S**piritus est ubicunq<sup>3</sup>, DEI movet omnia, nulla  
Rebus, quum spirat Spiritus ille, quies.  
Inde repente crepantis agente volumine venti  
Sedibus ætheriis Spiritus ille venit.  
Hoc PUCHNERUS habet. Tibi spiret ut ille cupiscis?  
Pande fores Cordis! Spiritus intus aget.  
Ecce fores ferit. Euge aperito, aperito repente,  
Mi PUCHNERE, flat hic Spiritus omne sophos.
2. **S**piritus est Ventus, sed Sanctus: spirat in omni,  
Omne fovet, flatu vivificatque suo.  
Incubat ipse aquis, veluti Gallina fovere,  
Assolet; ille suo Numine cuncta fovet.  
Hoc multis nobis monstrat GERLACHIUS, atque  
Quare cum Vento venerit ipse probat.  
Vis tibi quo spiret ceu ventus Spiritus idem?  
Aspira! Cælum, quod tibi spirat, erit.
3. **S**piritus Euge veni: sacra nunc Ecclesia cantat:  
Spiritus Euge veni: nunc Schola tota canit.  
Ut repleta fide junctorum corda suorum  
Spiritus ignivomo flammet amore suo.  
Quo per linguarum divina Idioma gentes  
Congreget unanimi consocietq<sup>3</sup> fide.  
Hoc SEGERUS idem repetitque canitque. Subinde  
Hoc cane! næ veniet Spiritus ille Tibi.
4. **S**piritus æternæ qui flamma reciproca menti,  
Et qui primigenæ fomes amoris inest.  
Numinis inspirat cunctis cœlestis amorem,  
Accenditque igni pectora sancta suo.  
Pluribus hunc monstrat nobis LIEFFELDIUS. Hunc vis  
LIEFFELDI? cane sic: Spiritus alme veni!  
Spiritus & veniet cantas si corde fideli,  
Et tu quum veniet campus amoris eris.      Ita censeo  
Gucinzius.

Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.


1017





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13  
B.I.G.  
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



...TES  
**STALES**  
...ES  
...ra  
**GUEINZI**  
...llensis  

---

**PETRUS**  
...apbus.  
7.

